



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 129. Phœbi Navarræ Regis obitus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

§. CXXIX.

Sæcul. XV.

A.C. 1483.

Phæbi Navarrae Regis obitus.

Ineunte mense Novembri anni præceden-
 tis Franciscus Phæbus Navarrae Rex, & *Belleforest.*
 Ludovici XI. Nepos sedatis paulisper regni *l. 3. c. 149.*
 sui motibus, ob quos in Gallias se receperat, inde Pompejopolim reversus est, eum comitantibus Matre sua, patruis, ac compluribus Nobilitate conspicuis. Ibidem mense Januario præsentis anni regia insignia suscepit, necnon indicta capitis pœna prohibuit, ne ab ullo Bellomontiorum & Grandimontensium nomina, quæ tamdiu regno exitiosa erant, proferrentur: postmodum auctoritatem Magistratibus restituit. Verum vix in Bearniam, ubi natus erat, delatus, repentino morbo corripitur, & die tertia Februarii Anno millesimo quadringentesimo octogesimo tertio non sine propinati veneni suspitione mortalitatem exiit, postquam summæ expectationis adolescens nonnisi decimum quintum ætatis suæ annum expleverat. Ejus soror Catharina juvenis adhuc Princeps regnum Navarrae suscepit, atque a multis expetita in sponsam, ceteris rejectis, nupsit Joanni Albreto: Unde Ferdinandus Arragoniæ Rex, cum Catharinam filio suo adhuc infanti jungendam sperasset, datam ob repulsam

Sæcul. XV. A.C. 1483. pulsam tam impotenti ira commovebatur, ut nunquam illam vexare desisteret sed eam suis ditionibus qua vi, qua fraude exuere moliretur.

§. CXXX.

Martini Lutheri ortus.

Hoc anno millesimo quadringentesimo octogesimo tertio die decima Novembris notissimus ille Hæresiarcha Martinus Lutherus Islebiæ natus est, Patre Joanne Lotter seu Lauther, Matre vero Margaritha Lindeman: Affirmat Cochlæus, illum in Baptismatis fontem Martinum fuisse nuncupatum, eo quod pridie ad festum S. Martini natus esset.

§. CXXXI.

Estutevillæ Cardinalis obitus.

Eccllesia eodem tempore, quo in sinum suum receperat Martinum, qui quondam crudelissimus Matris suæ persecutor existeret, orbata est fortissimo defensore suo, cum hoc anno vel juxta nonnullos anno priori, Estutevillam Cardinalem vivis ereptum luxisset. Erat filius Joannis de Estutevilla ex Margaritha de Harcuria natus primo Andegavensis Archidiaconus, postea, ut quidam recentiores Historici referunt, Prior S. Martini de Campis Lutetiæ Parisiorum renunciatus est. Fertur quoque, quod

Harcour